



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Banthum, quod hodie corrupto & abbreviato vocabulo Bantz dicitur, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

En dum se meritis sperat honoribus
Tandem posse frui: Prò dolor, invida
Fallunt fata viri spem:
Urna fors male condita
Ferali extrahitur: Dira apoplexia
Extinguit subito: funera Principum
Omnis perficit Ordo
Augustæ: unde clientuli
Multis cum lacrymis, huc humeris suis
Portarunt omnes, heu, triste cada veris,
Liquerunt tumulog, hoc
Luctus pignora perpetis.
Quam primus ditioni addidit insulam
Susceptæ, ut decoret primus Episcopus
Æternæ monumento
Famæ, & numine consecret.
Ergo quisquis ades, tristia contuens
Magni fata viri: Manibus optima
Tantis cuncta precare, &
Sortis vive memor tuæ.

Banibum.

BANTHUM, quod hodie corrupto & abbreviato vocabulo *Banz* dicitur, in dextra descendente à Voitlandiæ montanis versus Franciam Orientalem Mœni, inter Liechtenfelsum & Staffelsteinum oppida, dextram versus in altissimi montis vertice situm: olim insigne & novem robustissimis turribus firmatum ac præclare communitum Castrum, primum Baronum à Banth, tandem per matrimonii contractum Marchionum Vohenburgensium, qui latissime tum dominabantur, ad castra videlicet Schaumburgum & Sonnenburgum usq; item ad confinia Herbipolensium ac ad Gelenhusium usq;. In quo castro S. Chunigundis nutrita & à S. Alberade educata esse legitur. Nunc vero cœnobium D. Benedicti, Herbipolensis diœceseos: id fundatum legitur in S. Dionysii honorem

Marchiones à Vohenburg.

S. Chunigundis ubi educata.

rem anno Christi 1071. regnante Heinrico IV. Rom. Imp. ab illustri Domina Alberade, Comitissa de Banth, cujus maritus Hermannus, Marchio Voburgensis, in equestribus certaminibus, hastiludio sive torneamento, hodie ut vocant, Herbipolensi, equestri lancea transfossus occubuerat, in cujus memoriam sempiternam in terris ex arce, majorum suorum sede, domum orationis fecit, additis prædiis plurimis inter Banthense castrum, Sunnenburgum, & Schaumburgum: fluviosq; Ithesin & Mogannum sitis. Domina Alberadis fundatrix in cœnobii Banthensis primario templo sub ara S. Trinitatis sepulta dicitur. Habuit hæc filios tres Henricum, Othonem, & Conradum, quorum nomina thuribulo inscripta reperta sunt: quorum etiam unus in præterfluente Mceno trocho ludens super glacie periit: filiamq; à nobili quodam Centauro de Ratzenburg raptam ac devirginatam, propter quam Heidingsfeldense monialium cœnobium supra Herbipolin in sinistra Mceni situm, construxit & fundavit, in quo dicta filia & filius Conradus humati cubant. Erat initio utriusq; sexus monasterium, quod cum esset paulo post primam fundationem, nescio quo casu aut infortunio, misere vastatum ac collapsum, abolita prius & amota monialium congregatione, instauratum & redintegratum est anno Christi 1127. à sancto Othone, Comite Andecensi, Episcopo Bambergensium octavo, qui Pomeranorum (propterea quod ipse prius eos in fide Christiana imbuerit) appellabatur Apostolus. Is Rapathoni, Comiti cuidam de Wolfeswack, cœnobii prius non admodum fideli Advocato, tam diu institit, donec ex eo vicissim extorqueret, quicquid bonorum & prædiorum antea is per vim cœnobio abstraxerat: imo ut de suis propriis etiam aliquid jam ad recompensationem delicti hujus sui adderet. Abbates ejus loci tantum hos hæcenus inquirere & adipisci potui.

Abbatum catalogus.

1. *Baldwinus*, ex Prifelingensi prope Ratisbonam sito cœnobio evocatus, præficitur renovatæ Banthensi Abbatiæ anno Domini 1127. ab ipso S. Othone Episcopo Bambergensi, sub quo dedicatum est templum S. Petro Apostolo & S. Dionysio Martyri. Abbas iste moriens reliquit post se 40. monachos.

Bantheim

Chronologia
Monasterio
na Gemma
S. III

Steglitz
castrum.

2. *Conradus* Abbas præfuit Banthenfi coenobio sub Episcopis Bambergensibus Eberhardo & Hermanno. Habitabat hujus Abbatis tempore in vicino castro Steglitz (quod nuper à Meroniæ ducibus devolutum erat hæreditario jure ad nobiles viros de Razenburg) Centaurus ille Razenburgius, qui filiam fundatricis Alberadis rapuerat. Is omni persequutionis ac tyrannidis genere monachos opprimere studebat, quorum bona per fas & nefas ad se rapiebat, insatiabilis Harpyjæ instar. Sed, cum punivisset eum Deus, ita ut filium, quem ex rapta puella exceperat unicum, S. Sifelinum nomine, ad infaniam redactum, ac ipsum sibi pedes & manus crudeliter laniantem, & ita expirantem cernere cogeretur, motus ille miserrimo hoc spectaculo, & sua etiam ægrotatione, poenitentiaq; actæ vitæ ductus, arcem Steglitz, ante Dominæ Alberadi per vim ademtam, semel miro stratagemate recuperatam, Abbati huic Conrado & Conventui Banthenfi dono dedit, & omnibus seculis tradidit possidendam. Hanc Abbas mox dirui soloq; æquari fecit, ne quis amplius illic Cacus latibulum habere, & monachis molestus esse posset.

3. *Eberhardus*, nobilis heros à Schaumberg, obiit anno Christi 1404. cui quis successerit, non invenio. Neceffe, est autem aliquem fuisse inter hunc Eberhardum, & alterum Eberhardum sequentem.

4. *Eberhardus*, nobilis vir à Lichtenstein, obiit anno Domini 1474.

5. *Tristramus Zuffrus*, egregius eques, præfuit novem annis. Obit anno Domini 1483.

6. *Henricus Gros* à Drokau, frater Episcopi Bambergensis Henrici, eligitur anno Domini 1483. Præfuit annis 22. Obit anno Domini 1505.

7. *Joannes Sagittarius* eligitur anno 1505. Præfuit annis 24. Vidit primo suæ gubernationis anno conflagrare suum coenobium incendio domi nato, quod cum mediocriter instaurasset, venerunt anno Domini 1525. seditiosi Ostrofrancorum agricolæ, idemq; funditus pene denuo devastarunt. Obit Abbas iste anno 1529. mense Julio.

8. *Alex-*

8. *Alexander Rubigallus* vel de Rubeogallo, vulgò Rotenhan, successit Joanni ex hoc seculo evocato, vir procerus & humanissimus. Præest adhuc laudabiliter & utilissime hoc anno Domini 1550. Reædificavit monasterium, ab agricolis incensum ac vastatum, satis magnifice: instituitq; in eo insignem scholam tam pro nobilibus adolescentibus, quam pauperibus quoq; pueris. Construxit & Bibliothecam, ad quam per 30. faxeos gradus ascenditur, è quibus amænissimus est prospectus in Mœntum & in vicina oppida, Staffelsteinium ac Liechtenfelsum: quæ Episcopum Babenbergensem habent Dominum: in ipsam item Babenbergensi urbi confinem arcem Aldenburgensem, in qua olim optimus Imperator Philippus, Friderici Barbarossæ filius, ab Othone de Wittelsbach, Bavarorum duce, trucidatus legitur. In hujus reverendi patris ac liberalissimi Abbatis gratiam extat in sylvarum mearum libro octavo tale elegidion superioribus annis lusum.

Si laudantur adhuc Ephesine templa Dianæ,

Et Mausolei grandia busta vigent:

Si memoratur adhuc hodie Babylonia turris,

De qua nil penitus nunc superesse ferunt.

Ipsa suos si jactat adhuc Rhodos alta Colossos,

Quos olim salvos, nunc ferus hostis habet.

Quis nostras prohibet nos commemorare vetustas

Ac plenas veteri religione domos?

Quas partim ad fluvios nobis Germania monstrat,

Partim intra montes & juga summa sitas.

Has inter Bantbum est ad Mœni fluminis undas

In valde excelsa condita rupe domus.

Quam studio quondam & vera pietatis amore

Condidit eximia scemina laude potens.

Principis à Voburg Albradis nobilis uxor,

Cum post Christi jerant tempora, secla decem.

Centaurorum ita quæ fuit olim barbara sedes,

Nunc Christi membris est schola facta piis.

Apta

Bibliotheca

Chronologia
Monasterii
in Germania

S. III

*Apta domus Musis, & Apollinis artibus æquis
Christiadumq; piis apta ministeriis.
Hanc modo Alexander Rubri cognomine Galli,
Præditus eximia vir bonitate regit.
Ille norvenarum fautor tutorq; sororum,
Quem sinat in multos vivere Parca dies.*

*Beate
Virginis
Monaste-
rium.*

BEATÆ VIRGINIS Lutzelburgense Monasterium ordi-
nis D. Benedicti, extra muros civitatis situm, fundatum est
annum Domini circiter 1080. sub Imperatore Henrico Quarto,
à Conrado, Comite quodam Lutzelburgensi, ejus gentis, quæ
postea ad ducalem dignitatem sub Carolo quarto Imperatore
evehctæ est. Occasio constructi cœnobii erat, quod Conradus, ob
rationem nescio quam, à Romano Pontifice excommunicatus,
cum absolutionem peteret, hanc quasi viam quandam redeun-
di cum Pontifice in gratiam ingredi cogebatur, ut & pedes Hie-
rosolymam religionis ergo adiret, & inde rediens de suis facultatibus
cœnobium construeret. Catalogus ejus loci Abbatum non
extat integer. Cum enim anno Domini 1543. bellum gereret
Imperator Divus Carolus V. contra Gallum, qui tum Lutzel-
burgensem ducatum invadere, & urbem expugnare absente Cæsare
ausus fuerat: in eo inquam bello monasterium à Gallis dire-
ptum, exustum, & vastatum, & Joannes, Bohemiæ rex, Comes
etiam Lutzelburgensis (qui in ejusdem cœnobii templo hono-
rifice fuerat depositus) ab iis Gallis tumultu exemptus, in Mino-
rum cœnobium (quod in superiore ac monti insita civitate splen-
didum est) deportatus: Bibliotheca vero tota misere distracta
est, ita ut nihil amplius librorum aut monumentorum ibi reli-
quum manserit, præter plumbeam tabulam in sepulchro fun-
datoris repertam, cujus inscriptionem, mihi ab ejus loci nuper
adeo defuncto Abbate communicatam, huic loco, quod cœno-
bii originem contineat, inferere volui. Ea talis est:

*Peregrina-
tio Hie-
rosolymi-
tana.*

*Biblio-
theca Lü-
tzelbur-
gensis mo-
nasterii
distracta.*

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Quiescit hic Co-
mes Conradus. Hic cum inter seculi principes fama probitatis
esset celeberrimus, sepulcrum vitæ principis adiit amore divino
succen-